



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 24. in osores veritatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

PHILIPPICA XXIV.

In Osores Veritatis.
DOMINICA EADEM.

Si Veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

Ioan. 8. v. 46.

§. 1.
Veritatem
oderunt,
qui patre
diabolum
habent.



Non respondebunt, facile Pharisei ad postulatum Christi: cur veritatem dicenti fidem non habeant, si enim fidele darent, responsum, desinerent eo ipso esse, qui erant Osores veritatis, inciperentque, qui non erant fieri Amici Christi, qui est veritas. cur ergo veritati non creditur & quadringentis mendacibus prophetis facilius, quam unico veraci assensus præbatur? nimirum non credunt homines veritati, quia homines sunt, imò quia incarnati dæmones sunt; hanc rationem increata Veritas allegavit Ioan. 8. v. 44. *vos ex patre diabolo estis, ille in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex proprio loquitur quia mendax est. Et pater ejus.* quid clarius, quid verius? patrizant mortales & mores patris sui imitantur, qui mendacis delectantur. *filij alieni mentiti sunt mihi* ps. 17. v. 41. *filij adulterini* legit ex hebr. Genebrardus, qui non è Deo, sed ex Diabolo, nati sunt *non natura sed imitatione*, ut loquitur S. Epiphanius hæres. 38. vel, ut habet D. Ambrosius l. 4. in Luc. *non carnis successione sed criminis*, genium & ingenium patris sui æmulantur: *mendacium enim*, ait Magnus Basilius, *est diaboli fetus*. quomodo Deus pater genuit Filium veritatem, inquit Augustinus in c. 8. Ioann, sic diabolus

Basil. epist.
ad Eustach.
Sebast. E.
piscopum.

lapsus genuit, quasi filium mendacium. at non agam contra hunc factum hodie, erit & suus mendacibus perstringendis locus, Osores auditæ veritatis ex præsentis dictione solummodo in odium adducere enitar illius amore & ope, qui est plenus gratiæ & veritatis.

Vetus & verax est de Veritate fabula, cujus Tertullianus l. 1. apologeticæ meminit, peregrè eam è nubibus cœli, ubi regnum suum habet (*usque ad nubes Veritas tua* ps. 35. v. 6. ideo & in nubibus verax Deus in iudicium venturus dicitur) in terras abiisse & locum in diverforio quæsisisse, ubi ut gratior hospes foret, fides arripuit & cecinit, at impactæ sūt ab ingratis auditoribus fides in veritatis caput, hinc illud proverbium: *qui veritatem fidibus canit, fidem non invenit, sed fides illi in caput illiduntur*. Eliminata è diverforio officinas mercatorum petiit, ubi vix à primo limine salutavit institores, & non modò exesse iussa est, sed juratum illi & internecinum odium denunciatum, irata idcirco veritas juravit vicissim: *si introibunt in requiem meam*, atque idcirco nulla mercatoribus terramarique, diu noctuque quies. perrexit tertio ad aulam, sed illusa ut fatua & appensâ ad os serâ nollisque circa caput, turpiter est proscrip-ta, solis morionibus eam extra aulam comitantibus & occinentibus: *qui vult hic verum dicere, stultus erit.*

§. 2.
Gratiola
fabula de
veritate.

ps. 94. v. 11.

rit. ex aula ad templum processit veritas, hic cathedram, hic tribunal pœnitentiæ, hic aram occupavit; sed neque in templo grata fuit, vix enim tria dicere verba cœpit, profugerunt Auditores, unus post alterum, incipiendo à senioribus, ita ut solitudo fieret ex templo, & quod solitudinibus familiare est, spelunca latronum ex domo DEI. In plateis, in foro, in curia stare non potuit, sed corruit & lapides vix effugit. quid tandem? cum in urbe, in aula, in tēplo locus nō esset, nec nisi patibulū, rotas & malas cruces imprecarētur veritati mortales, fecit quod Archistrategi & duces militiæ solent, qui urbem aliquam oppugnaturi montem patibularium imprimis occupasse, atque ibi tentorium fixisse, ubi iustitia regnat, observati sunt; ita & veritas patibulum conscendit, ibi licet non competentem, securam tamen invenit habitationem, ibi liberè loqui permiffa, ibi residere est iussa. quod si tamen exspatiari in urbem, aulas, templa vellet, non in vestitu proprio sed alieno atque, ut vocant *alomodico*, compareret, parabolis videlicet, apologis, fabulis & tropis comptissimè ornata incederet, nè primo sui aspectu incurreret odium & oculos aurèsque mortalium à se alienaret. Vetus hæc de veritate fabula in verissimam transit historiam, quæ toties renovatur, ut nec luna sæpius. Venit in hunc mundum Incarnata Veritas & non erat ei locus in *diversorio*. Venit inter mercatores, & à Juda mercatore pessimo vendita, atque ab institutoribus ceteris tantopere exagitata fuit, ut arrepto flagello coacta sit se tueri & in mendacissimum illud genus hominum severè animadvertere; cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo. In aula Herodis nunquid albâ veste stulti-

LUC. 2. v. 7.

tia insignibus est illusa? in templo cum nescio quid in pavimēto scriberet, nunquid à scribis & Pharisæis est deserta? *audientes autem unus post unum exhibant, incipientes à senioribus* & remansit solus Iesus. apud plebejos offendit in lapides, quos videlicet inimici veritatis toties sustulerunt ad lapidandum Iesum, nullum non moventes lapidem, ut Veritas vel obrigesceret in faxum, vel sub lapidibus sepulta putresceret. In cruce denique securè loqui & non tria tantum, sed septem verba dicere potuit ad coeli terræque motum, petrarum gemitum, veli rupturam, sepulchrorum redanimationem. Vivit Veritas, sed apud mortuos, loquitur Veritas, sed cum lingua hæret in labris, habitat Veritas, sed in cruce & patibulis. Ceterum si gratiam invenire aliquam velit, parabolis & similitudinibus vestita ornatæque irrepit necesse est. *scit Veritas, inquit Tertullianus cit. se peregrinã in terris agere; inter extraneos facillè inimicos invenire.*

Ab his inimicis carceri mancipatur & vinculis constringitur, ita enim docet gentium Doctor. Rom. 1. v. 18. *veritatem Dei in iniustitia detinent.* in quæ verba Cornelius noster ex Chrysostomo & Augustino commentatur. ergo quasi incarcerationem veritatem, eamque detinuerunt feris iniquæ voluntatis, itaque vim illi intulerunt & summam injuriam irrogarunt. Vide Michæam prophetam in carcere, quia veritatem Regi Achab locutus est; Iosephum patriarcham in cisterna veterere captivum, quia veritatem fratribus locutus est; Jeremiã Vatem in carcere, quia veritatem Regi Joachim locutus est; Joannem Baptistam in carcere, quia veritatem Herodiadi locutus est; ipsum mundi Salvatorem in aula Caiphæ nocturno mancipatum carceri in-

Joan. 8. v. 9.

§. 3.
Veritas in-
carceratur3. Reg. ult.
Gen. 37. v. 23.

Jer. 37. v. 4.

Joan. 3. v. 24.

venio

venio, quia veritatem principibus sacerdotum in concilio locutus est, hem! ut veritas Dei detineatur in injustitia, ut iusti iudicis ira reveletur. *revelatur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.* nunquam impune tulit caelum repulsas & injurias veritati illatas, sed immaturâ plerumq; multavit morte stygiô-que mancipavit carceri, quotquot incarcerare ausi sunt veritatem. *Vi- ro, qui corripientem dura cer-vice contemnit, repentinus ei superveniet interitus* prov. 29. v. 1. Herodem utrumque testor, Achabum, Joakim, Pharaonem appello immaturâ omnes morte sublato, quia veritatem de medio tollere conati sunt. *revelatur ira Dei super omnem impietatem & injustitiam,* omni impietate scatent, quicumque ocores sunt veritatis.

Rom. 1. v. 18.

S. 4. Cur Deus in consummatione saeculi tot scelera permittus.

2. Theff. 2. v. 10.

Causam investigans idem Apostolus, cur justus Deus in consummatione saeculi permittus sit enormia per Antichristum patrari scelera & perverti plurimos fictis miraculis, quæ in omnibus elementis exhibiturus est, solem sistendo & obtenebrando, montes transferendo, cursum maris sufflaminando, per aërem volitando, ad responsa ex statuis edendo &c. causam inquam tantorum malorum investigans Apostolus, in contemptum Veritatis eandem denique rejicit: *eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent.* Cyprianus legit ep. 55. *eo quod delecti veritatis non habuerunt.* Ambrosius: *dilectione veritatis;* propterea permittet Deus operationem erroris, ut seducantur & pereant, sicut hodieque permittit, ut ariolis & mendacissimis nebulonibus firmissimè adhæreant deque scelere in scelus ruant, qui à veritate auditum averterunt. Fusè S.

Augustinus: Annon est peccatum, & poena peccati, ubi legitur: Dominus miscuit illis Spiritum erroris & seduxerunt ægyptum in omnibus vijs suis, sicut seducitur ebrarius? non est peccatum & poena peccati, ubi Deo dicit propheta: Quid errare fecisti nos, Domine, à via tua, obtudisti corda nostra, ut non timeremus te? non est peccatum & poena peccati, ubi rursus Deo dicitur: ecce tu iratus es & nos peccavimus, propterea erravimus, & facti sumus immundi omnes? non est peccatum & poena peccati, ubi legitur de gentibus, quas debellavit Josue, quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum contra Israël, & exterminarentur? Non est peccatum & poena peccati, quod non audivit Roboam rex plebem bene monentem, quoniam sicut scriptura loquitur: erat conversio à Domino, ut statueret verbum suum, quod de illo locutus est in manu Prophetæ? non est peccatum & poena peccati in eo quod scriptum est, Amasiam regem judæ noluisse audire Joas regem Israël bene monentem, nè procederet ad bellandum? Unde est illud, quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus: Pro eo, quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Ut seduceretur Achab & in praelio periret, vidit Michæas Dominum sedentem in throno & exercitus cœli coram eo. & dixit Dominus: quis seducet Achab & ascendet & cadet, in Ramoth Galaath? & dixit Spiritus quidam: ego seducam eum. & dixit Dominus ad eum, in quo? Et dixit, egrediar & ero Spiritus Mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit: seduces & præva-

S. August. 1. 5. contra Julian. c. 2.

lebis

lebis; exi & fac sic.

§. 5.
Initium salutis est auditio veritatis
2. Reg. 19.

Nè ergo tot tantisque malis involvamur, veritatem libenter audiamus. perisset in sanguinibus David, nisi veridicum Nathanem audisset commissâ sibi scelera exprobrantem. Perisset Ezechias, nisi Isaïæ fidem & gratiam adhibuisset II. 38. Perisset Heli Sacerdos fumus, nisi Samuelis pueri vocem acceptans divinæ voluntati se permisisset I. Reg. 3. Quamdiu veritatem Herodes libenter audiebat, tamdiu spes bona salutis affulsit, at infligante patre mendacij præconem veritatis sustulit, ut spes salutis ex aula Herodis tolleretur. In bona via Pilatus fuit, quàm diu veritatis scintillulam aluit: *quid est veritas?* sed responsum non expectavit, nè cum responso certam hauriret salutem.

Initium salutis in Samaritana fuit, quòd veritatem à Christo liberè dictam libenter audierit: *quinque viros habuisti & nunc quem habes non est tuus vir, hoc verè dixisti* Joan. 4. v. 18. quibus ic̄ta verbis mulier respuit & à fonte salutis apud puteum Jacob veram hausit salutem, quia hausit veritatem, quam in puteum olim lapsam pro verbo dicere solemus. Magdalenam pariter audita veritas ex titione inferni in carbunculum cœlestis gazophilacij transmutavit. audit Magdalena libenter veritatem non à Christo modò, sed à Simone leproso, à Martha Sorore & quibus non? ideòque laudatorem habere meruit Christum & patronum & sponsum.

Initium salutis in populo Israëlítico fuit Veritas libenter audita, etsi severè prædicata à Joanne Baptistâ, teste Matthæo & Luca (c. 3. v. 7. apud utrumque) cum progenies viperarum audirent & ad baptismum poenitentiae invitarentur ad

ponendum malitiæ venenum. Convertit Petrus die Pentecostes concione unicâ tria circiter millia, quibus veritatem severè ingessit: *Viri Israëlitæ audite verba hæc: IESUM Nazarenum per manus iniquorum interemistis*, quod scelus cum pro merito exaggerasset, finit oratione: *salvaminus à generatione ista prava* Act. 2. eo fructu, ut compuncti corde dixerint. *quid faciemus Viri fratres.* En ut principium salutis sit acceptatio veritatis.

Condemnabunt in die novissimo osores veritatis Balthasar & Xerxes, quorum alter Danieli veritatis liberè pronuntiatae gratiâ catenam auream è collo appendit & primos in aula contulit honores; Xerxes verò Demaratum ob veritatem liberè pronuntiatam regiâ coronâ & triumphali pompâ per urbem Sardis donavit, Senecâ teste I. 6. c. 31. qui enarratam hoc epiphonemate claudit historiâ: *quàm miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret Regi, nisi qui non dicebat sibi*, Demaratus videlicet vanitatis avidissimus philosophaster. Monitus Philippus Macedo, quòd in cœtu publico sublatâ veste parum decorè sederet, respondit: *nesciebam illum mihi tam benevolam & amicam esse, ridicula sunt ea, quæ ad vestes pertinent*, inquit orator aureus, *periculosa autem & damnosa, quæ ad animam.* & tamen similes monitores non impatienter accipimus, qui autem in rebus ad animam pertinentibus monent, sunt nobis exosissimi.

Augustus Cæsar intellectuâ morte Varri ingemuit: *Nunc qui mihi veritatē dicat, non habeo.* De Antiocho memoratur, gloriari solitū fuisse, quòd veritatem invenisset. nam in venatione delapsus in abdita silvæ, ad rusticam casam divertit, hic ab agresibus, quibus ipse ignotus, di-

§. 6.
Gentiles veritatem libentius audierunt, quàm Christiani.

Chrysof. to. 5. hom. 13.

discumbentibus vitia omnia sua citra fucum enarrari audîit. Manè ubi diluxerat, affluentibus aulicis fortem suam deprædicavit: *Heri primum ipsam reperi veritatem.* Gaudent reges, quod vel simplici vice audire potuerint veritatem, detre-ctabunt plebei veritatem unquam audire? tristantur Augusti, quod non habeant, à quibus veritatis moneantur, tristabuntur, quod fortè moneantur christiani? non ego hos Christianos, sed nè homines quidem dixero. Cameli sunt, aquam turbant, nè suam in limpida videant turpitudinem & agnoscant parœmialem illam, quæ de camelis apud Hebræos canitur, veritatem: *cum Camelus cornua habere vellet, aures perdidit.* phrænetici sunt, medicum & medicinam execrantur, ut pereât. noctuæ sunt, lucẽ fugiūt, ut in fordibus suis tutiùs latitent, Rancidæ anus sunt, speculum horrent, nè ad rugas suas expallescant *quemadmodum speculum non est malum deformi,* inquit Clemens Alexandrinus, *quod ipsum ostendat qualis sit, & quemadmodum medicus non est ægrotanti malus, quod ei febrem annuntiet, ita nec mala est veritas, sed mali imò pessimi sunt, qui veritatem ode- runt, serpentes & genimina vipera- rum sunt, aures occludunt, nè vo- cem sapienter incantantis audiant, foetus dæmonis sunt, parenti suo ad amissim similes, qui sicut in ex- orcismis horret, stridet, ringitur, cum veritati dare locum compelli- tur, nec audire pacificè potest ver- ba illa à quocunque hominum in- gerantur, quæ Moyses configura- vit: *Deum, qui te genuit, dereliqui- sti; & oblitus es Domini Creatoris tui* Deut. 32. v. 18. ita & proles dæmo- nis à veritate quidem auditum aver-*

tunt, ad mendacia verò conver- tuntur, hæc quærunt, hæc ample- xantur & diligunt. Sed audiant hi Romanæ facundiæ principem ita perorantem: *cuius aures clausæ sunt Veritati, ut ab amico veritatem au- dire nequeat, hujus salus desperan- da est.*

Cice o. l. i. de amicit

§. 7. Veritas a- manda.

Veritas sol est universa illustrans, næ ille Cimmerijs dignus tenebris, qui solem hunc execratur. Veritas sal est mentes condiens, ut sapiant, næ ille insipidus & putidus, qui fa- lem hunc horret & abjicit. Veritas scutum est, de quo ps. 90. v. 7. canitur: *scuto circumdabit te veritas e- jus, non timebis à timore nocturno,* scuto corpus, veritate anima conte- gitur contra mali omnis authorem diabolium; non timebis à timore nocturno, à mendacio videlicet, ut interpretatur Hieronymus, quod tenebras amat & pallido plenum est timore. Eleganter Augusti- nus: *cum cepisset veritas tua in circuitu prædicari, utique fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania: occurrit leo fremens & suffocatus est à te Deus veritatis.* hostem non timet, qui amicam non horret, sed pro scuto habet veritatem.

S. August. Conc. i. in ps. 2.

Veritatem itaque amemus, ut filij Dei simus, *qui enim ex Deo est, verba Dei audit;* veritatem amemus, ut ab omni malo liberemur, *veri- tas liberabit vos;* veritatem ame- mus, ut Spiritus Sanctus habitet in nobis, *cujus princeps est titulus: Spiritus Veritatis.* verbo: veritatem amemus, ut Sancti simus: *san- ctificati in veritate.*

Ioan. 8. v. 32.

Ioan. 16. v. 13.

Ioan. 17. v.

* * *
* *
*